

49  
RECTOR  
ACADEMIAE LVDOVICIANAE  
IO. LVDOVICVS  
ALEFFELD,

PHILOS. NATVRALIS PROF. ORDINARIVS  
ET FACVLT. PHILOS. h. t. DECANVS,

VNA CVM VNIVERSO  
*SENATV ACADEMICO*  
LECTIONES

TAM PVBLICAS, QVAM PRIVATAS  
*PER INSTANS SEMESTRE HIBERNVM*  
AB OMNIVM FACVLTATVM

PROFESSORIBVS  
HABENDAS

INDICIT, ET AD EAS SEDVLO AVDIENDAS  
*GENEROSOS NOBILISSIMOSQVE*

*ACADEMIAE CIVES*  
*PERAMANTER INVITAT.*

DIE X. SEPT. ANNO MDCCCXXXI.

SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.

---

GIESSÆ, TYPIS EB. HENR. LAMMERS, ACAD. TYP.

In Facultate Theologica.

D. IO. GEORG. LIEBKNECHT,

SS. Theol. P. P. O. Superintendens, Consistorialis, & Stipend.

Princip. Ephor. h. t. Decanus.

Publicas suas Lectiones de controuersis recentioribus, nuper coeptas, omni studio hora XI - XII. continuabit. Privatim Theologiam Exegetico-practicam ita docebit, ut una hora regulas, alibi publicatas, & altera epistolam quandam Paulinam, succincta exegesi illustratam, ad usum Studiosorum Theologiae transferat, ad formandas etiam & censendas conciones vndique paratus.

REINH. HENR. ROLLIUS, D.

S. Theol. Prof. Ord. Consist. Principalis Assessor, & district.

Alsfeld. Superint.

Absoluta publicis Lectionibus hora IX. Comparatione Marcæ Evangelistæ cum Matthæo, examen versionis Novi Test. Zinzendorfiæ nuper promissum, bono cum Deo aggredietur, autoremque illius requisitis ad tantum opus suscipiendum necessariis instructum haud fuisse, & animum speciatim huc attulisse minime probum ac sincerum; indeque autoritatem codicis sacri divinam turpiter læsisse, oracula, de summis agentia mysteriis cum cura depravasse, pluraque alia obscurius, quam parerat, propinasse; multos denique errores, dudum ab Ecclesia puriore proscriptos ac damnatos, ut varii generis sectarios & fanaticos in sinum reciperet, adoptasse, ex instituto demonstrabit. Hora vero quarta diebus Mercurii & Jovis exercitium disputatorium in *FECHTII* Syllogem controuersiarum continuabit. Privatim hora VII. perget in Lectionibus dogmaticis in *BAIERI* Compendium, easque ad finem, hoc ipso, quod ingredimur, semestri perducere studebit; illis etiam, qui in moralibus, homileticis, aliisque, sua uti institutione desiderabunt, nusquam defuturus.

IO.

# IO. HERMANNVS BENNER,

*SS. Theol. Profess. ord. & Paedagogiarcha.*

**P**ublicas acroases destinabit pericopis epistolarum quae singulis diebus dominicis pro concione sacra explicari solent. Post earundem *analysis exegeticam*, ad praxin pietatis & *homileticum* usum respiciet, ut, qui libris & sumptibus destituuntur, habeant meditando proficiendique copiam. *Privatim*, ubi substitimus in exegesi IESAIAE, & epistolae ad ROMANOS, progredi constitutum est, si quis hanc operam privatim quam publice maluerit. Addet *theologiam dogmaticam*, quam ad partem *visque tertiam* superiore aestate produximus; per hiemem, dextro numine, conficiendam. Disputationibus per singulas hebdomades defungetur, quam in rem nomina iam collecta non dimittet. *Moralem theologiam* anno proximo finitam, quibuscunque placuerit, exponet; non segnior in ceteris; quae ad culturam doctrinae Christi pertinent. Deus docenti vires bonamque mentem conferuet; auditoribus feruorem annuat, studiumque pietatis.

# ERNEST. FRID. NEUBAVER,

*SS. Theol. Doct. eiusque Prof. publ. extraord.*

**Q**uoniam studium *exegetico-biblicum* prora atque puppis omnis studii theologici merito esse debeat: operam ante omnia dabit, ut solidam theologiae cultoribus manuuctionem ad illud suppeditet. Faciet hoc b. c. D. publice ad ductum *institutionum hermeneuticae sacrae* b. nostri RAMBACHII, utpote quae non in hac solum academia, sed & in omnibus fere orbis evangelici academiis adhuc sunt explicatae. Et sicut ex summi viri MStis vberiore in eas commentarium germanico idiomate publicavit notisque illustravit: ita non numquam ad eundem respicere, ex eoque notabilia quaedam desumere integrum sibi erit. *Privatim* pro desiderio Dn. auditorum vel *thetica*, vel *moralia*, vel *historica*, vel *homiletica*, vel *exegetica* ad vnum alterumve librum sacrum praeleget, ad disputationes quoque habendas paratus.

1781

In



*In Facultate Juridica.*

**D. IO. FRIED. KAYSER,**

*Consil. Hasso-Darmstatt. Jur. P. P. O. & Primar. nec non rerum  
Oeconomicarum in Alma Ludoviciana Inspector  
perpetuus.*

**P**ostquam ea, quae restant adhuc explicanda in Jure publico Mose-  
tiano, absoluta fuerint, novum Collegium Juris publ. aperiet, nec  
deest, in aliis quoque Jurisprudenciae partibus operam industriamque  
suam pro desiderio Dn. Dn. Commilitonum impendere.

**D. JO. ERIED. WAHL,**

*P. P. O.*

**P**ublicas praelectiones ad institutiones D. Justiniani ad umbilicum per-  
ducet. *Privatim* nova collegia ad institutiones Juris Civilis & Ca-  
nonici, nec non ad digesta auspiciaturus, manuductionem quoque ad  
praxin forensis expetentibus, operam suam haud denegabit.

**D. HENRICUS CHRISTIANUS  
SENCKENBERG,**

*Consil. Regim. Hass & P. P. O.*

**I**N Lectionibus Publicis, *Pacem Westphalicam* interpretabitur, novam-  
que ex ea Germaniae inductam formam demonstrabit. *Privatis* curis,  
Illustris KRESSII Specimen Jurisprudenciae privatae sive civilis, additis  
cuique titulo *Elaborationibus*, duplicatis horis exponet. Juris Germano-  
rum *privati ac feudalis* ad Compendia sua tradendas doctrinas, nec non  
Dissertationes hebdomadarias ad *Jus Publicum* thesibus dirigendas, ut &  
curas in Collegio *relatorio* suas, simul offerens. Horas equidem separata  
indicabit schedula, & illic de *Canonum Jure*, quod nonnulli Dn. Com-  
militonum a se praelegi voluerunt statuet; tempus tamen pomeridianum,  
sibi imprimis vindicaturus.

ERN.

ERN. CHRISTOPH. ARNOLDI

P. P. & Facult. Jurid. Assessor.

Publice exponet STRYKII *Examen Juris feudalis* hora X. matutin. Privatim vero novum Collegium Pandectale ad LAUTERBACHII *Compendium Juris* duabus quotidie horis, scil. a IX - X. antemerid. & a III - IV. pomerid. habendum auspicabitur, potiora momenta in calamum dictabit, illudque cum reliquis Collegiis, uti hactenus consuevit, intra semestre spatium absolvet. Collegium quoque, quod vocant *elaboratorio. practicum* desiderantibus Dnns Studiosis, si justus Auditorum numerus continget, in *Strykii Introductionem ad Praxin forensis*, instituet. Caeterum Institutiones Juris Ciuilis Imperatoris Iustiniani, item BOEHMERI *Institutiones Iuris Canonici*, & STRUVII elegantem libellum, qui *Jurisprudentia Romano-Germanica forensis* inscribitur, denuo interpretabitur; iis quoque, qui exercitium disputatorium desiderant, non defuturus.

In Facultate Medica.

D. JOH. CASIMIR. HERTIUS,

P. P. O.

Publice Osteologiam repetet: Privatim vero Splanchnologiam aut si ita placuerit, aliam quoque anatomes partem exponet.

LVD. HENR. LEO HILCHEN,

P. P. O.

IN lectionibus publicis doctrinam de Venesectione aliisque sanguinem subtrahendi modis pertractabit. Privatim Praxin specialem & institutiones explanabit, & praeterea ad desideria & captum Nobiliss. Dn. Dn. Commilitonum lubens se accommodabit.

D. GERARDUS TABOR,

P. P. O.

Publice per instans semestre hibernum in B. ROTHII *Manuductionem ad Chemicam* commentabitur.

*In Facultate Philosophica.*

**CHRISTOPH. FRIDERICVS  
AYRMANNVS,**

*Professor Histor. & Bibliothecarius.*

**H**istoriam vniuersalem ductu Cellarii, ab hora III. ad IV. superiori semestri gratis praeslegit, & ab Orbe condito ad medium aeuum delatus, etiam per ferias in hoc labore perget, finiturus eum, volente Deo, cum semestri proximo, prouti olim consuevit, quippe cum citius exhausturi cuncta nequeant. In gratiam tamen eorum, qui frequentare hoc incipientibus summe necessarium Collegium adhuc neglexerunt, denuo illud finitis feriis inchoabit. Porro Historiam civilem particularem, ductu Pufendorffianae Introductionis, priuatim, sed non sine operae pretio, explicabit, ad alia plura iam pridem paratissimus.

**JAC. FRID. MÜLLER,**

*Philos. P. P. O.*

**L**ogicam, Ontologiam, Psychologiam & Theologiam naturalem tradet candide, solideque, non ut Sophista mercedi inhians, nec ut ille, qui auram hominum captant, Spirituique, per S. Litteras loquenti in animis Auditorum obices ponunt (quod per recentiore[m] fieri Philosophiam non minus ac Ethnicam veterem Viri cordati merito dolent), sed ut Philosophus, semper ad necessitatem reddendi aliquando doctrinae suae rationem coram Iudice omniscio attentus.

**IOH. LVDOVICVS ALEFELD,**

*Philos. naturalis Prof. ord.*

**I**n lectionibus publicis ad Physicam, quas vsque ad doctrinam de qualitatibus perduxit, sedulo perget; privatas quoque nuper coeptas pari diligentia continuabit, & si quae alia a se desiderari intellexerit, promtum se ad ea paratumque semper exhibebit.

D. ER-

# D. ERNEST. FRID. NEUBAVER,

*Antiqq. itemque graecae & orientalis Philologiae Prof. ord.*

**R**ecitationibus publicis quam arcto vinculo cum exegeticis philologicis sint coniuncta, ostendet. *Privatim* in gratiam incipientium *Exodum* explanabit *ebraicum*, singulis vocibus ad praescriptum DANZIANAE grammatices expositis; cum prouectioribus vero, si qui fuerint, cursoria lectione prophetarum, vel *hagiographarum* absoluet, neque non iisdem ad reliquas orientis linguas, *chaldaicam* praecipue (qua magna *Danielis* & *Esaie* pars est conscripta) ac *Syriacam*, viam munit. Quumque ex examinibus subinde habitis compertum sibi sit, quantis in graeca lingua defectibus laborent plurimi, ut huic malo occurrere quodammodo possit, offert collegium *graecum* in omnes libros N. T. ita instituendum, ut difficiliora grammaticae resoluantur, omniaque ex indole graecae linguae illustrentur. Quo facto ad alios Graeciae cultioris auctores maiori cum fructu perget. Neque tamen *antiquitatum* studium intactum prorsus relinquet, si modo eius amatores inueniantur. Deus, sine cuius Numinae omnis noster labor est irritus, cuncta prosperet secundetque!

# CHRIST. LUDOV. GERSTEN,

*Matth. Pr. O. & R. S. Lond. Sod.*

**P**ublice calculum astronomicum speciatim methodum suam eclipses solares supputandi docebit. In privatis & privatissimis uti vocant scholis sedulo labores continuabit, nec iis quoque deerit si adsunt qui noua sibi collegia mathematica aperiri cupiunt.

# IO. ERNESTVS HOEPPNERVS,

*Moralium P. P. O.*

**H**abita propediem Oratione zuspicali de usu conciliationis Legum naturalium & civilium ad *BUDDEI* Ethicam commentabitur, eamque ex novioribus huius disciplinae subsidiis locupletabit. In Jure Naturae docendo Perillustris *PEIFENDORFFII* vestigia premer, aut si Auditores praecipiant *HEINECCI* compendium explicabit, variisque observationibus illustrabit. Publice Historiam Juris Naturae *B. THOMASIO* duce tradet.

D.

# D. FRANCISCVS IVSTVS KORTHOLT,

*Eloq. utriusque Prof.*

**P**ublicis praelectionibus *Illustris HEINECCI* fundamenta stili cultioris explicabit; priuatas praecipue exercitiis stili, tum Latini tum Germanici, quae in eloquentiae studiis primum sibi locum vindicant, destinatae, non defuturus illorum desideriis, quarum conatus alia quacunque ratione iuuare poterit.

# CHRISTOPH. LVD. RVDIGER,

*Prof. Phil. extra ordinem, Definitor ac Diac. ad aed.*

*D. Pancratii.*

**P**rolegomena homileticae arti praemittenda, feliciter ad calcem cum sint deducta, sacros nunc textus scite resolvendi, vario realium adparatu locupletandi, elaborandi, nec non coram coetu congregato eloquendi, artificium, tum theoretice, tum practice proponet. Eum in finem specimen analyticae artis adcuratissimum in epistola Pauli *ad Romanos* DANNHAWERO P. I. hodomor. Sp. Calu. p. 502. ferente, obuium, desiderantibus etiam exponet. Sicut nec illos, qui in philosophia instrument. theoret. vel practica, suam industriam prouocabunt priuatissime, in fraudem conici patietur.

**H**abebunt etiam *Generosi & Nobilissimi Cines* occasionem in arte equestri, in ludo palaestrae, in arte commode & perite saltandi, nec non in linguis exoticis, Gallica, Italica, apud exercitiorum istorum & linguarum magistros, publica auctoritate constitutos, admodum idoneos proficiendi.

